

T. Fredriæ

THESES M E D I C A E

QUAS
CONSENSU EXPERIENT. FACULT. MEDICÆ
IN REGIA ACADMIA UPSALIENSI,

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO ET EXPERIENTISSIMO,

Dn. Doct. CAROLO
LINNÆO,

EQUITÆ AURATO DE STELLA POLARI,
S:Æ REG. M:TIS ARCHIATRO,
MED. ET BOTAN. PROFESSORE REG. ET ORD.
ACAD. UPS. HOLMIENS. PETROPOL. BEROL.
IMPERIAL. LONDIN. MONSPEL. TOLOS.
FLORENT. SOCIO.

PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA PRIVILEGIIS
MORE MAJORUM OBTINENDIS,
PUBLICO SUBMITTET EXAMINI

JO. CHRIST. DAN. SCHREBER
THURINGUS.

IN AUDIT. CAR. MAJ. AD DIEM XIV. JUNII
ANNI MDCCCLX.

H. A. & P. M. S.

U P S A L I A E.



D. D.

§. I.

Plantæ numerosissimæ, quibus obvestit globum terraqueum Deus O. M. sunt totidem documenta infinitæ sapientiæ, natae in gloriam sui Creatoris, & in commodum hominis, cuius est eas intueri.

§. II.

Plantæ constant medullari & corticali substantia; in illa earum vita consistit, in hac vero sustentationis organa.

§. III.

Medullaris substantia, continuata a primordio rerum, maxime multiplicabilis, novas constituit plantas in gemmis seu ramis, & in seminibus.

§. IV.

Subeunt plantæ metamorphosin uti infecta, dehiscente substantia corticali & prodeunte medullari. Exterior itaque planta larva dicenda est, fructificatione vero planta nuda, interior & perfecta.

§. V.

Fructificationes in multis plantis adeo conformatæ

mes deprehenduntur, ut vix ovum ovo similius occurrat, exceptis accidentalibus, colore scilicet, magnitudine, similibusque; & hoc quidem, ubi planta exterior foliis & reliquis partibus externis ab altera diversissima crederetur.

§. VI.

Cum itaque ex nuper observatis constet, plantas produci hybridas, & exteriori facie diversissimas, dum fecundata fuerit mater ab aliena planta; verosimile videtur, adeo similes fructificatione plantas, externa structura licet diversas, ab una eademque planta olim prognatas esse; sed utrum haec temporis filiae sint dicenda, an ab ipso Creatore in primordio mixtae sint, serus docebit dies. Interim has ipsas fructificatione adeo similes plantas vocarunt Botanici Species ejusdem generis.

§. VII.

Cum sic ab una eademque prognatae species sint, & vitam earum constitutat medullaris substantia, qua modificat ipsam plantam; non mirum est, quod qualitatibus & virtute convenient, uti hoc varii observarunt Botanici & Medici.

§. VIII.

Qualitates plantarum manifestantur in primis sapore & odore; quas ut dignoscerent animalia, Deus instruxit ea olfactu & gustu, ne quidquam intraret clangulum corpora istorum, & noxam ipsis adferret.

§. IX.

Sapida in fibras & humores corporis agere eviden-

dentissimum est, & pulcherrime demonstratum theoria & observationibus Medicorum mechanicorum; uti etiam, olida agere in sistema nervosum, plurimis exemplis non dudum evictum est.

§. X.

Odorem in plantis hybridis saepius mutari & a matre alienum evadere, nobis videtur constare ex plantis variis foliis crispis.

§. XI.

Saporem constantiorem esse in speciebus congeneribus, patet innumeris exemplis; licet hic debilior aut fortior in diversis observetur.

§. XII.

Dum itaque Medici argumentantur ex fructificatione ad plantarum vires, attendant simul ad qualitates, quae in primis variant circa volatilia.

§. XIII.

Cum variae plantæ corrosivæ simul qualitatibus rapidis &olidis gaudeant; non sufficiunt sole qualitates saporis & odoris, nisi simul in subsidium vocetur generica plantarum ad finitas; ut patet ex Contortis, Tricoccis, Laetescientibus, &c.

§. XIV.

Qualitates contrarias in plantis dari, ex acido & amaro, ex acri & viscido, ex pingui & styptico, ex aquoso & sicco constat, uti etiam ex tetris & aromaticis. Videtur itaque alienum a scopo medico, qualitatibus diversas miscere.

S. D. G.

DR. FRED BÄRS